

TRACTATVS  
DE PERMUTA-  
TIONE,

IN QVO ORIGO PERMVTATIO-  
nis, eiusque definitio & requisita, itemque qui possint con-  
trahe permutationem, qui non possint, & quae res possint permutari,  
quæ permutationis sit forma, quis finis & effectus  
dilucidè docetur

ADIECTIS VBIQVE QVÆSTIO-  
nibus utilibus & necessariis.

AUTHORE

THOMA MAVLIO, CONSILIARIO ET  
Præfecto Solmæio Greifensteinensi.

Cum dupli Indicerum & verborum copioso.



Francfurti ad Mænum,  
Prostat apud IOANNEM FRIDERICVM VVEISSIVM,

---

ANNO M. DC. XXXIII.



# ELENCHUS TITVLORVM.

Tit. I. pag. x.

De origine permutationis.

Tit. II. ibid.

Permutatio quid sit?

Tit. III. pag. 10.

De requisitis permutationis.

Tit. IV. pag. 16.

De personis quæ possunt permutare.

Tit. V. pag. 24.

De rebus quæ possunt permutari.



## T I T. I.

### *De origine permutationis.*

#### S V M M A R I A.

- 1 *Permutatio est contractus primus & omnium contractuum antiquissimus.*
- 2 *A permutatione capit origo emendi vendendi.*
- 3 *Permutatio dicitur vicina emptioni venditioni.*

**P**ermutatio est primus & omnium antiquissimus contractus Homer.lib.7.Iliados ad fin.Aristot.polit.libr.1.c.6.Ian.Garfias de expens,& meliorat.c.1.num.1.Rener.Budel.de monet.c.2.& 3.

Et origo emendi vendendique à permutatione cœpit: vnuſq[ue] enim secundum necessitatem temporum ac rerum utilibus inutilia permutabat, quoniam euenit, vt quod alteri superest, alteri desit l.1.ff.de contrah.empt. Vnde in l.fin.ff.de rer.permutat dicitur permutatio vicina emptioni venditioni, & similis utriusque ratio existimatur in l.1.ff.eodem.

## T I T. II.

### *Permutatio quid sit?*

#### S V M M A R I A.

- 1 *Definitio permutationis refertur.*
- 2 *Permutatio est contractus.*
- 3 *Permutatio est contractus iuris gentium.*
- 4 *Permutatio an sic contractus nominatus, an vero innominatus?*
- 5 *Permutatio est adeò simili emptioni venditioni, vt apud veteres dubitatum fuisset, an idem cum emptione esset?*